

D I S S E R T A T I O C H E M I C A  
I N A U G U R A L I S,

D E

D u a b u s A e r i s s p e c i e b u s A q u a m  
g i g n e n t i b u s.

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,

E x A u f t o r i t a t e R e v e r e n d i a d m o d u m V i r i ,

D . G U L I E L M I R O B E R T S O N , S . S . T . P .

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P r a e f e c t i ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,

E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ;

P R O G R A D U D O C T O R I S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S  
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

G E O R G I U S K I R K A L D I E ,

S C O T U S ,

S o c i e t . P h y s i c . E d i n e n s . H o n o r a r . S o c .

C h e m i c a e S o c . E x t r a o r d .

N a t u r a e S t u d i o s . n e c n o n P h y s i c . A m e r i c . S o d a l i s .

*A u t a c r e m f l a m m a e f o n i t u m d a b i t , —*

*— a u t a q u a s i n t e n u e s d i l a b s u s a b i b i t . V I R G . G . iv .*

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I :

A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,

A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

---

M . D C C , L X X X V I .

D. Jeffreys  
with compliment from  
his Countryman  
follower graduate  
J. G. Kerkald

Viro celso, et ornato,

De omnibus suis affinibus et familiaribus

Optime merito,

ALEXANDRO FOTHERINGHAM,

ARMIGERO;

Regis Satellitum Praefecto,

Summae testimonium observantiae,

Hancce dissertationem dicat

GEORGIUS KIRKALDIE.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b2492880x>

D I S S E R T A T I O C H E M I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

Duabus Aeris speciebus Aquam  
gignentibus.

**S**ECULO hoc nostro, quo, superstitione antiquorum repudiata veneratione, philosophi artes, et studia omnigena, insigni et solertia et labore, colunt et promovent, quis non multa nova nec haec tenus comperta expectaret? Cuique dubio esset, animis noscendi cupidis assidue explorando occupatis, multa utilia detectura fore? His temporibus Aristotelianum elementum aërium multae indagationi fuit causae; nec cessere conatus irriti; etenim de eo Priestley,

A

Black,

## 2 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

Black, Cavendish, et Schiele, coetum philosophorum illa docuerunt, quibus sibimet famam perennem et jure compararunt: Homines tali auxilio, quale suppeditavit haecce disquisitio, aetherias navigare regiones, et ipsas nubes superare, nemo non miratus est. Ex eodem fonte, quot, tum medicinae tum reliquae scientiae profluxere commoda, patet omnibus. Argumentum est igitur haud parvi momenti, et illius, qui, jam plurima imbutus est scientia, aequo attentione dignum, ac imperiti juvenis eundem campum percurrere tentantis.

Nocivi quidem effectus in atmosphaeram communem ex animantium halitu vario, putredine, et ignibus, continue inducti, luculenter monstrant quanta cura, et rationibus quam ignorantis benigna semper natura vitae pabulum aegris suppeditavit mortalibus.

Qui metalla effodiunt, diversas aëris conditiones, neque sine vitae discrimine, dudum experti sunt; nec minus ii, qui montium culmina altorum petiere, excitantem quasi levitatem circa pectus persentiverunt: Sed causas tantarum rerum non nisi post longum tempus quaesivit philosophorum acies; laboris autem impensi pretium jamdudum acceperunt; quoniam inter

inter se haud parum diversas plane detexerunt aëris species; et principium inflammabilitatis sub variis modificationibus, et diversa ratione, has formare, apud chemicos ratum habetur.

De his quidem omnibus singulatim differere aliquando mecum decrevi, imo optavi; multis vero aliis rebus occupatum neque sinebant tempus neque hujusmodi dissertationis limites tot aggredi. Selegi ergo duas species, dephlogisticatam nempe et inflammabilem, in paginis sequentibus tractandas; a priori exordio facto, dotes ejus et origo primo consideranda veniunt, dein natura.

### S E C T I O P R I M A.

#### *De Aëris Dephlogisticati Origine et Dotibus.*

HOCCE fluidum, *aer empyraeus* a Schiele nuncupatum, natura praebet, gignit ars, uti experimenta in vegetabilia instituta, chemici necnon processus, edocuerunt. Priestley revera diu opinari

#### 4 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

nari placuit, nullum acidum praeter nitrosum aëra dephlogisticatum praebere; et, quia hic illius actione in diversas terrae species semper evolutus sit, aliquod terrae in ejus compage semper adesse collegit. Docuerunt autem recentiora experimenta, quibus idem comparatus fuit, nihil vel acidi nitrosi vel terrae esse omnino necessarium; verum et acidum vitriolicum, et muriaticum, atque etiam vegetabile, idonee tractata, idem suppeditare.

Aer quinetiam dephlogisticatus sincerissimus, et chemicis experimentis melius aptatus, ex nitro crudo, adjuvante igne, paratur; quicquid enim inter vegetandum plantae, et alia ejusmodi, emittunt, raro experimentis convenit, propter heterogenea quibus fere semper corrumpitur.

Fluidi vero hujusce, quomodo cunque comparati, hae sunt praecipuae dotes: *1mo*, Pelluciditate gaudet, et perpetua vi resiliendi: *2do*, Aëra atmosphaericum pondere superat: *3to*, Animalium respirationem multum adjuvat, ut et combustionem: *4to*, Omni vegetantium generi vitam aufert: *5to*, Atmosphaerico aëre qui quies purior est: Et, *6to*, Aqua nihil ejus absorbet.

*1mo*, Cujusvis aëris pelluciditas, et perpetua vis resiliendi, communes sunt dotes; neque his una species ab altera dignosci potest; et omnes, quamprimum his privantur, (si quidem tale fieri potest), aliam induunt formam.

*2do*, Aëris dephlogisticati gravitas specifica, cum ea caeterarum specierum collata, nonnihil superare invenitur; etenim vesica, secundum Priestley, aëre vel phlogisticato, vel nitroso, vel atmosphaericō impleta, et alia aequali aëris dephlogisticati magnitudine, inter se eam ponderis rationem servant, quam 185 ad 187 \*: Fontana autem, ex propriis experimentis, habuit discriminem paulo majus, nempe rationem :: 152 : 160 †. Quo hujus rei explicationem redderet, ille inclitus philosophus sequentem conjecturam protulit, aëra videlicet dephlogisticatum acidi aërii semper pauxillum continere; nunquam vero experimentis hanc sententiam stabilivit. Nonne igitur magis verisimile videtur, hoc discriminem a phlogisto deficiente oriri? Quovisunque enim modo dephlogisticatus aer fuerit comparatus, si purus

\* Priestley's Experiments and Observations, vol. 2.

• 92.

† Cavallo on Air.

## 6 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

purus et merus sit, plus quam atmosphaerici aequipondium reperitur.

*3tio,* Suppeditat pabulum aer dephlogistica-  
tus combustioni, et animantium respirationi val-  
de accommodatur: Quae quidem indoles primo  
philosophorum attentionem excitavit, et animos  
ad ejusdem investigationem adduxit; quia, ab  
omnibus antea detectis speciebus, hanc valde dis-  
crepare cito compertum est. Locata enim can-  
dela, vel quocunque alio flammante, intra vas  
hoc fluido repletum, flammae splendor mirum  
in modum augetur, et lumen ter solito majus  
editur; modoque sat purus sit aer, crepitat flam-  
ma, circum se jaetans ceram vel sebum a quibus  
candela forte confecta fuerit. Praeter autem  
lumen splendidissimum, hoc pacto a candela e-  
missum, una oritur calor admodum intensus;  
auxilio cujus se metallum istud durum *platina*  
liquefecisse Fontana narrat \*, et id sequenti mo-  
do: Vesicam dephlogisticato aere implevit pri-  
mo; illi deinde tubum vitreum alligavit, et ejus  
partem extremam juxta candelae flamman col-  
locavit; et, manibus interea vesicam compri-  
mentibus, aer expulsus in flamman adactus est,

et

\* Cavallo on Air, p. 55.

et eam secum abripiens in quocunque ei obiectum conversus facile.

Dum dotem adeo insignem, miram, et peculiarem contemplantes tempus tererent philosophi, altera non minus eorum attentione digna fese obtulit. Experimentis enim Priestley demonstravit, magnitudinem aëris dephlogisticati datam quinques diutius ad respirationem animalium sufficere, quam sufficeret eadem atmosphaericæ magnitudo: Cujus rei rationem reddere nunc aggrediamur.

*Pbloggeron*, principium istud a philosophis nuperrimis adeo jaçtatum, multum hic valere videtur. Etenim haud secus ac nitrosus aer, idem principium aëri, quem trahimus, impertiendo, eum nocivum reddit, animantium spiritus fit quadam ex parte lethalis; multa enim sunt quae probant respirationem phlogisticum esse processum; experimentaque a Priestley instituta hanc sententiam magis adhuc perspicuam et certam reddiderunt; constatque ab iis hoc principium ex sanguine evolutum esse, sanguinis necnon colorem nigricantem ex eo progenerari solo \*. Aëri enim et nitroso et inflammabili sanguinem ille

## 8 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

ille objecit arteriosum atque floridum in vesica; qui cito exinde venosi colorem nigrum induebat; eundem postea sic decoloratum, in vase dephlogisticato aëre repleto, quiescere aliquamdiu permisit, ubi atrum colorem cum pristino mutavit brevi.

Ex his igitur omnino licet inferre, quod sanguis phlogisto oneratus, et intra pulmones in contactum aëris, cui minus ejusdem inest, delatus, ei aliquantulum impertiet; et insuper, quo minus ejusdem aëri spiritu recepto insit, eo plus necessarium erit ut satietur. Patet hinc ratio quare animalia, in data aëris dephlogisticati magnitudine inclusa, tanto diutius vita frumentur, quam in aequali magnitudine atmosphaericæ.

Verum est quinetiam, quanquam explicatum difficultimum, aëra atmosphaericum, cum jam ab animantium respiratione lethalis evaserit, nequam posse aëre nitroso imminui; dum aer dephlogisticatus, simili modo vitiatus, haud parum diminutionis subeat.

Attamen inter respirandum animalia nonnihil aëris mephitici e pulmonibns continue emittunt, cujus et formationis modus et locus ad hunc prope diem latuere. Labores vero hominis, ingenic

genio, et doctrina paucis secundi, arcanum hoc fere retexerunt; ille enim experimentis iteratis, et quam maxima accuratione factis, ex phlogisto et aëre dephlogisticato commissis adeptus est aëra fixum: Nonne igitur fas sit colligere, quod illa aëris fixi ratio, quae singula expiratione e pulmonibus ejicitur, in iis genita fuerit? nam aëri inter spirandum recepto sat est aëris dephlogisticati; et intra pulmones quoque phlogiston, ut jamjam notavimus, copiose scatet.

Inter differendum hoc modo de varietatibus et vitiis, quae aer a respiratione animalium subit, et de vi, qua ad haec tollenda pollet aer dephlogisticatus, non oportet silere de eo quod ex cogitavit Fontana, et cuius ope, ut ille opinatus est, animal datam aëris dephlogisticati quantitatem trecies diutius, quam solito modo, respirare posset: Ingenhousz quoque in eandem sententiam ivit; sed, verisimile est, antequam tentando semetipsum certiorem fecerat; hic fuit modus:  
 ‘Imprimis,’ inquit ille, ‘vas aëre dephlogisticato implevi, et ore in aqua calcis inverso quiescere permisi; rebus sic se habentibus, intra vas collocavi animal, quod trecies spiravit diutius, quam, si aquae calcis vice aqua com muni usus essem, spiravisset: Aëre videlicet

## 10 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

‘ fixo, quamprimum e pulmonibus ejectus est;  
‘ sese calci adjungente.’

Evulgatum hoc experimentum nullius magis quam Priestley admirationem excitavit: Primo intuitu, de ejus eventu, animo dubitationis non experte, haesit ille tacitus; instituit vero, et publice edidit postea, sequens experimentum: Scilicet, ‘ Duos mures inter se simillimos sele-  
‘ git, et ex aequo duo vasa aëre dephlogisticato  
‘ implevit, quorum unum in aqua calcis inver-  
‘ sum locavit, alterum vero in communi; positis  
‘ tunc intra vasa muribus, post tres horas, am-  
‘ bobus et diminutio, et phlogisticato aequalia-  
‘ erant \*.

Quam avide enim aqua fixum aëra absorbet, ignorat nemo; et judicet aliquis haec experientia inspiciens, cuinam eorum magis fidendum est: Quantum ad me spectat, hujus eventum ad conjectaria ab illo facta omnino refellenda sufficere, non possum non cogitare.

4to, Inter cæteras dephlogisticati aëris dotes insignes et sui proprias, primum et praecipuum sibi locum vendicant effectus quos hic aer in vegetabilia edit omnigena: Dum enim aer phlogisto

\* Priestley, vol. 5. p. 160.

gisto oneratus iis pabulum suppeditat, hoc principio privatus vitam aufert.

Solers quidem Scheele in contrariam sententiam ivit: Ultra autem dubii aleam Ingenhoufz et Priestley rem posuerunt; constat enim, ex eorum experimentis, effectus, quos vegetabilia dum vegetant, et animantia dum spirant, in atmosphaeram edunt, omnino inter se contrarios esse: Nam haec illis pabulum ex ore continue fundunt, lethum vero fibimetipsis; et vice versa. Quapropter regnum unum adfert salutem alteri, ipsi necem; et, ni benigna natura aequilibrium servaret, brevi perirent ambo.

Quin et animalium quorundam exhalatio per cutem ad atmosphaerae salubritatem confert; dum vegetabilia nonnulla e floribus emittunt halitum, qui et flammarum et animalium vitam extinguit \*.

Quoniam igitur phlogiston vegetabilibus pabulum vitae praebet, et quoniam aer dephlogisticatus hujuscce principii nihil continet, facile apparebit, quod vegetabilibus in hoc sitis brevi finis crescendi erit; atque rem sic se habere experimenta probarunt; sic enim posita morbide creverunt, et cito vigore desiverunt.

5to,

\* Priestley, vol. 4.

## 12 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

5to, Philosophia naturali nitroſi aëris inventione locupletata, utilissima ejusdem indoles, quod ad aëra atmosphaericum ut et dephlogisticatum imminuendum, cito fuit evulgata. Hinc enim illi ingeniosissimi viri Landrini et Fontana instrumenta excogitavere *eudiometers* nuncupata, ut eorum ope de cujusvis aëris sinceritate judicarent. Instrumenta sunt sat simplicia: Tubus vitreus, unius vel plurium unciarum capax, in gradus dividitur: Nitroſi aëris duobus aequis portionibus intra hunc tubum positis, et tertia dephlogisticati, si tres istae mensurae ad quintam totius magnitudinis partem imminuantur, tunc dephlogisticatus aer atmosphaericus puritatem quinquies superare dicitur; etenim, si vice dephlogisticati atmosphaericus aer in hoc experimento usurpetur, quintam partem amittit tantum.

6to, Agitatus una cum aqua communi aer dephlogisticatus, nihil absorptione amittit: Peculiaris quidem huic aëris speciei est haec indoles; et hinc agitatione in aqua ab heterogenea materie aliqua purgatur. Fontem enim philosophi tandem reperiere, unde scatet ista hujuscemodi magna vis, quam vel pluvialis vel fluvialis  
aqua

aqua fundit, modo splendidibus solis radiis sit  
objecta.

## SECTIO SECUNDA.

*De Aëris Dephlogisticati Natura.*

FLUIDI tam miris dotibus praediti philo-  
phi naturam diu quaesivere, et iteratas conjec-  
turas, vero longe dissentaneas, etiamsi experi-  
mentis propriis nitentes, in medium protulere.  
Attamen, nova regione patefacta, viis autem per  
illam ducentibus ignotis, viator cupiens extre-  
mas partes attingere, dum rectam viam invenire  
laborat, tractus avios haud raro tentat. Exinde,  
quicquid alicui de hujuscce fluidi natura magis  
placuit, in vulgum edidit, et diversa opinio u-  
numquodque opus ornavit; de nonnullis qua-  
rum, paucis perpenfis, illam quae veritate vide-  
tur magis niti breviter exponam.

Diu valuit opinio, a Priestley prolata, indi-  
cans acidum nitrosum, pauxillo terrae adjunc-  
to,

74 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

to, aëra dephlogisticatum formare; quia actio-  
ne, quam acidum hocce in diversa terrae gene-  
ra exercet, tale fluidum semper adeptus est ille.  
Virum autem hunc eximum latebat, quod, cum  
Scheele tum alii, ex acido nitroso solo largas  
ejusdem quantitates obtinuere.

Ipsa quoque experimenta, quae opinioni  
Priestleianae ortum praebuere, majori cura in-  
stituta, eam ex toto diruere; etenim inferiori  
caloris gradu, Fontana ingen. aera dephlogistica-  
tum et magna copia, et eximie purum compa-  
ravit; illiusque errorem detexit, et promulga-  
vit. Gradus enim caloris, quo Priestley usus  
est, semper aliquam terrae partem volatilem  
reddidit; et illa vasorum cervicibus plerumque  
adhaerebat; separata vero, pondus terrae amif-  
sae aequabat. Quare nobis inferre licet, aëra  
dephlogisticatum nihil terrae continere.

Alteram a vero aequa alienam ac priori dis-  
similem opinionem Scheele evulgavit; et aci-  
dum subtile, cum phlogisto junctum, aëra de-  
phlogisticatum edere, ei placuit.

Hic igitur mirandi copiam habemus, quare  
vir iste ingeniosus sententiam edidérit, contra  
quam tot, tanta, et tam valida experimenta stant  
instructa. Phlogisto enim deficiente, plerasque  
fluidi

fluidi hujusce dotes, omnes fere chemici attribuere; et jure, quoniam aëre dephlogisticato et igne operantibus metalla in calces mutantur; quibus phlogisto adjecto, et igne rufus applicato, forma metallica brevi redintegratur: Quoniam praeterea ille animantium respirationi multum subsidii fert, vitamque vegetabilium extinguit: Et denique quoniam, deficiente hoc fluido, comburitur nihil, utcunque ustioni aptum; abundante vero phlogisto flamma ipsa brevi extinguitur.

Hunc in modum res se habuere, cum quae instituit Cavendish experimenta, oblivioni nunquam tradenda, in lucem edita sunt; illaque litem fere dirimerunt; victrices et bene meritas palmas adepta sunt; ingenio necnon hominis, coloribus antea nitidissimis depicto, splendorem dedere novum.

Quum enim ille commiscuisset aëris inflammabilis 423 portiones, et atmosphaerici 1000 in globo aereo, mixturam ope scintillae electricae explosit; hic quinetiam aer omnino evanuit, illius quinta pars.

Intus globus rore obiectus est; atque exinde collegit, aëra inflammabilem ex toto, et atmosphaerici

26 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

atmosphaerici quintam partem, fuisse mutata in rorem.

Iterum, quum emenfus esset dephlogisticati aëris 19500 grana, ea cum 37000 inflammabilis miscuit, et häud aliter ac in priori experimento, sed partitis vicibus, explosit, atque decem grana humoris adeptus est. Talia sunt experienta, tales effectus quos illa dedere cum philosophus iste eximius sententiam suam de natura et dephlogisticati aëris, et inflammabilis, publici juris fecit.

Ex his collegit, aëra empyraeum *substantiam*: simplicem esse, cui adjecto aëre inflammabili, aqua evolvitur; igitur nihil aliud esse, nisi aquam dephlogisticatam.

Ex his aëris diminutionis, dum processus phlogistici peraguntur, rationem reddidit.

Ex his quoque opinionem, quam Kirwan protrulit, de aëris fixi evolutione, dum metalla in calces mutantur, penitus refellit: Et, denique,

His ducibus, Priestley experimenta multa, pulcherrima, et ingeniosissima in aëra omnem, aquam, et metalla instituit; quae et priora fecerunt magis adhuc certiora, et nonnulla deduxerunt nova; argumenta necnon suppeditarunt unde,

unde, quae sequuntur inductiones parte ex magna probatae videntur; nempe,

1. Metallorum calces aëra fixum semper comprehendere; et illinc oriri pondéris augmen-
2. Aëra dephlogisticatum in ejus compage nonnihil acidi semper habere. Haec igitur singulatim inspiciam, quae huic et illi favent re- censens breviter.

Metalla, dum in calces rediguntur, aëra dephlogisticatum absorbere, Lavoisier et Lubbock jamdudum comprobarunt; repertum est autem, quasi heri, aëra fixum ex ejusdem cum phlogisto conjugatione prognatum esse. Restat igitur ut, hoc cognito, experimenta inveniamus, quae sententiam iam prolatam et illustrent et corroborent: Liceat ergo experimentum quod nuper instituit Priestley citare.

‘In vase vitreo,’ inquit ille, ‘septem aequilibus empyraei aëris portionibus collocatis, quandam ferri vim induxi quoque, et lentis ope eandem accensi; brevique sexagesimam partem unius portionis septem tantum occupavere, et metallum in calcis formam fuit redactum. Calce ponderata, inveni illam tantum ponderis acquisivisse, quantum aer amiserat.’

Ac istae squamae quas ferrum candens prohibet ejusdem naturae fuit calx haecce; et illam intra vas aëris inflammabilis aliquod continens posuit; rursusque, adjuvante lente, accenfit; cito aquae tantum quantum pondere et aëra dephlogisticatum et inflammabilem aequabat, adeptus est; et denique metallo formam suam metallicam restituit. Idem experimentum similiter, quod ad omnia, in cuprum institutum, eventus similis subsecutus est.

Si igitur concedatur, (quod jam proferenda experimenta probarunt) aëra fixum ex phlogisto et aëre dephlogisticato progenerare, processus supra memorati videntur rationem suadere sequentem; fixum videlicet aëra, phlogisto metalli laxato, ut semper igne et aëri dephlogisticato ambienti se adjungente, evolvi; illum attrahere calcem; simulque metallicam perire formam, et augere pondus.

Calx vero lente et aëre inflammabili agentibus parata sic, ad formam metallicam restituta fuit, quamprimum attractio electiva duplex perfecta fuerat; nempe fixus aer, qui calci inerat, decompositionem subiit; ab illo calx phlogiston attraxit, et metallicam formam induit; dum aërc

aëre inflammabili et dephlogisticato junctis aqua formata fuit.

Quin et absque factis rebus, quae probent, theoriam tradere, tantum obscura obscuriora, incerta incertiora, reddere valet. In praesentia autem nil tale metuendum est; etenim neque pauca sunt, neque parum valida, quae theoriam jam prolata in fecere verisimilem.

Porro, in omni exemplo, cum ex aëris inflammabilis et dephlogisticati decompositione, aqua evolvitur, necesse semper est, ut hi certa ratione misceantur (illius nempe portiones duae, hujus una); aliter enim nihil vel parum aquae obtinetur: Experimento vero satis accurate perfecto, et cujuscunque aëris rationibus justis usurpati, evoluta aqua eorum pondus aequat.

Idcirco Priestley, dephlogisticato prius aëre ponderato, quam metallum ad calcem redigisset, ejus ope, aëris inflammabilis talem portionem introduxit, qualis ad dephlogisticatum in aquam convertendum sufficeret; et, calce ad metallum restituta, aquae vim adeptus est et huic et illi aëri pondere aequalem. Quid inde collendum, quaeso? Nonne ex hoc experimento satis manifeste appareat, aëra inflammabilem minime phlogiston suppeditare? Quare oportet ut ex alio

alio fonte derivetur; nec ullus tam probabilis  
veneratur, quam ille quem jam tradidi.

Aëra dephlogisticatum nonnihil acidii in  
eius compage semper habere, quidam viri exi-  
mii crediderunt; alii vero multi in dubium hoc  
vocarunt, imo negarunt. Inter tantos homines  
parum sufficiunt nostrae vires tantas componere:  
lites. Attamen, quibusdam nuperis experimen-  
tis fretus, pauca de re proferam, eam de qua  
agimus prope attingente. Hoc consilio expe-  
rimenta synthetica in aëra fixum instituta laetus:  
arripi; in omnibus vero hisce, ea in quibus  
usurpatus est carbo ut fallacia respuerem: Car-  
bo enim fere semper aëra fixum continet, et eo  
aegre privatur: Dumque delectat aliquem ex:  
carbone, et alia quacunque materie mixtis hoc  
fluidum obtinuisse (illinc partes, ex quibus com-  
ponitur, ostendere cupientem) saepe id tantum  
adipiscitur, quod ab atmosphaera inter combu-  
rendum allegerat carbo. Animos igitur ad ea  
revocamus quibus nil tale objici potest, quibus  
ab insigni Priestley factis nulla praestantiora ha-  
bemus, aliis vix opus est.

Ecce verba auctoris: ‘ Mischui,’ inquit ille,  
‘ cum duabus unciis ferri scobis, singulam pre-  
cipitati rubri; et adjuvante igne quadraginta  
‘ uncias

uncias aëris adeptus sum, cuius sub processus  
initio vigesimam partem aqua non absorbet  
etiamsi versus finem auctum esset residuum.  
Processu absoluto triginta sex uncias since-  
mi aëris fixi prorsus paravi, quas aqua penitus  
absorpsit. Idem experimentum iteravi ære  
et zinco in loco ferri usurpati; et evoluta  
fuit vis quaedam aëris, quae comprehendit  
tres partes fixi aëris.'

Quoniam igitur praeter inflammabilem aëra,  
vel phlogiston, aes et ferrum ignis vi nihil fun-  
dunt, praecipitatus, praeter dephlogisticatum  
aëra nihil, nonne fas sit colligere, aëra fixum  
ex his ejectum, a phlogisto et dephlogisticato  
aëre junctis oriri? Etenim in hisce experimen-  
tis ære et zinco institutis, nihil plumbaginis ad-  
esse potuit; cujus praesentiae errorem Kirwan  
ascriptis Cavendish.

Quandoquidem, his experimentis testantibus,  
fixus aer evolvitur a coniunctione aëris dephlo-  
gisticati et inflammabilis, vel potius phlogisti, et  
acidi dotibus imbuitur, unde, quaeso, derivatur  
acida ejus indoles? Minime ex aëre inflamma-  
bili; quicquid enim hujuscce fluidi ope ignis ex  
ferro comparatur, nihil acidi continere ab om-  
nibus

nibus conceditur chemicis; quare oportet ex dephlogisticato aëre derivetur.

Eidem quoque sententiae multum favet vis ista dephlogisticati aëris, quam operante igne crudum nitrum emittit. Hoc enim modo, tres ex quatuor hujusce salis partes in aëra magna ex parte dephlogisticatum mutantur; et processu finito praeter alkali nihil relinquitur: Licet enim celeb. Watt aëra sic paratum cum aqua agitaverit, et nitroſi acidi haud parvam rationem obtinuerit, non tamen amissae aequalis fuit; necesse est igitur, ut hic aer in ejus compage nonnihil acidi complectatur.

His perpensis, dephlogisticatum aëra aliquantulum acidi semper comprehendere, non cogitare non possum: Et experimenta, quae hoc fluidum haud parvam ignis quantitatem ex decompositione emittere docuerunt, rationem præbuere cur sub sensibus acidum nunquam cadit, donec aer decomponitur, vel cum alia materie jungitur: Quantum enim et ignis et phlogiston mutant vel formam, vel indolem cuiuslibet fluidi, patet omnibus.

Etenim, igne deficiente, aqua formam glaciei induit, scatente vero vaporis.

Abundante.

Abundante phlogisto, nitrosum acidum nunc aëra dephlogisticatum edere videmus; et nunc, ratione diversa, in aëra nitrosum mutari.

Operante eodem principio acidum vitriolicum modo in sulphur transit; modo fit acido-vitriolicus aer.

Porro, ex antea citatis experimentis apparet, aëra dephlogisticatum nonnihil acidi semper continere; et, quoniam cum experimenta quae Cavendish instituit, tum nitrosi aëris decompositio, quam dephlogisticatus aer facile efficit, ignem ei inesse monstrarunt; nonne data praebentur a quibus colligamus, hujuscce elementi praesentiam in causa esse, cur acidum latet, donec aer vel decomponitur, vel cum alia materie jungitur?

Postremo, ex ratiocinatione jam tradita sequi videtur, aëra dephlogisticatum esse revera aquam dephlogisticatam (uti Cavendish ingeniosus opinatur); verum et ignem et aliquantulum acidi ei semper quoque inesse.

## SECTIO

## SECTIO TERTIA.

*De Aëris Inflammabilis Origine et Dotibus.*

IN SIGNIS et peculiaris flagrandi facilitas, quam gaudet aer inflammabilis, nomini praebuit or-  
tum; attamen, ab iis qui metalla effodiunt, *fire-damp* appellatus est; fluctuans summis in fodina-  
rum locis, et cujusvis rei comburentis contactu,  
flammam concipiens, dudum istic cognitus, nec  
raro lethalis fuit.

Hoc fluidum natura copiose fundit; scatent enim eo, corpora animalium, vegetabilia, et fos-  
ilia, et suppeditant, modo rite tractantur.

Multum vero inflammabilis aer variat, pro-  
pter varia corpora a quibus fuerit natus; attamen ejusdem nil sincerius vel experimentis magis ap-  
tum, quam id, quod ex ferro et zinco ejicitur,  
dum illa in acido vitriolico solvuntur, vel dum  
carbo comburitur. Apparatus est satis simplex:

Vafa

Vasa duo inter se conjunguntur, tali modo quod externus aer internae superficie intercluditur; horum unum effervescentis mixturae capax aëra evolutum in alterum mittit.

Quomodo cunque vero genitus sit hic aer, hae sunt dotes quibus maxime cognoscitur:

1<sup>mo</sup>, Pellucidus est, et perpetua vi resiliendi gaudet: 2<sup>do</sup>, Contactu flammae accenditur: 3<sup>to</sup>, Animalia necat: 4<sup>to</sup>, Torpida reddit infecta: 5<sup>to</sup>, Ex quavis cunque substantia paratus fit, dum recens, odore ejusdem praeditus est: 6<sup>to</sup>, Vegetabilibus pabulum suppeditat: 7<sup>mo</sup>, Cum aëre vel dephlogisticato vel communi mixtus, facile et magna vi exploditur: 8<sup>vo</sup>, Aqua absorbetur: 9<sup>no</sup>, Atmosphaericō aëre multo levior est.

1<sup>mo</sup>, Pelluciditas ejus, et perpetua vis resiliendi, sunt dotes aequae aëris speciebus caeteris ac inflammabili communes: Diversis modis privantur his; sed rursus ad formam aëris brevi, nec magno negotio, restituuntur.

2<sup>do</sup>, Flagrandi qualitate aer inflammabilis gaudet; et hinc multis mirandis originem nunc praebere fertur, quorum rationem philosophi antea quaesiverant frustra; talia enim flagranta illa meteora, quae cursum per atmosphaerae

regiones superiores tenent, et longe lateque claro lumine terris aſſulgent.

Huic, nec sine cauſa, quidam aſcriperunt aëris impuritatem culmina versus altorum montium; etenim, progrediente putredine, ille magna copia emittitur; et, quia levissimus eſt, celeriter petit aëra altiorem, et magis raruſ.

In stagnis et fossis, ubi vegetabilia apud fundum putrefientia, ubertim aëra inflammabilem profundunt, aquae superficies facile oculos spectaculo quodam delectare potest: Candela enim tali superficie admota, statim, mirabile viſu! flamma per totam vagatur; et aspicienti quid flagrat discernere perdifficile eſt.

Comperuerunt autem philosophi, quod aer inflammabilis accendi nequit, niſi prius cum aëre vel dephlogisticato vel atmosphaerico misceatur; et eorum vice nitroſi acidi vapores fungi reperiuntur. Plerumque autem recensitae ſunt hujſce fluidi species duae; quarum una lambenti flamma uritur, et ex vegetabilibus comparatur; alteram metalla, dum in acidis ſolvuntur, emitunt, et illa flammae contactu exploditur.

*3tio*, Quae animalia experta ſunt aëra inflammabilem respirare coacta, luculenter monſtrantur.

runt quam nocivus est iis. Experimenta nec non, quae Fontana instituit, hanc rem valde illustrarunt: Ex his enim collegit ille, quod animal aëra inflammabilem, cum pauxillo communis mixtum, impune potest inhalare; et post unquamque solitam expirationem, tantum aëris intra pulmones relictum esse, quantum ad inflammabilem aëra innocuum reddere sufficeret: Si vero aliquis, violento nisu, omnino pulmones aëre depleret, tunc, aëre inflammabili inhalato, statim animam efflaret \*.

De modo vero quo hoc efficitur, multa extant dubia; praecipue quia, interempta aëre inflammabili animalia, eadem signa ostendunt, ac ea quae fatum simile ab aëre fixo subierunt: Ex hoc collegit Priestley †, horum utrumque eodem modo vivum corpus afficere. Qui vero sit modus, necesse est, ut alia experimenta ostendant. Summa enim fiducia, propriis munita experimentis, contendunt quidam, aëra fixum genus nervosum validissime sedare, et hujus mobilitatem delendo lethum inducere; quia animalibus eo peremptis per totum corpus fibrarum musculosarum irritabilitas deleta fuit. Eadem

\* Cavallo on Air.

† Priestley, vol. 4. p. 62.

dem vero experimenta ab aliis iterata contrarium eventum dedere; atque idcirco, unde aliquis pro certo de hac re statueret nil habemus.

Certe hallucinati sunt egregie ii, qui ad suffocationem seipsoſ receperunt; etenim animalia in clausis conclavebus interempta asthmatos nulla signa unquam exhibuere, sed potius apoplexiae vel asphyxiae; et procubuerunt, quasi profundo sepulta ſomno, vel nimio Baccho obruta. Quae igitur vel aliam ſententiam stabiliant, vel alteram refellant, defunt experimenta; hisque fabricam labantem, male materiatam, etiamſi Bergmano constructam, instaurandi et locus et opus eſt.

*4to*, Effectus, quos in infecta aer inflammabilis edit, iis peculiares ſunt; etenim, intra vasa hoc fluido repletum collocata, omni motu privantur cito, et signa quaſi mortis ſeſe proferrunt: Attamen, niſi diutius quam per ſemihoram ibi manferint, in aëra liberum relata, reviviscunt, et priſtina eorum alacritas cito redintegratur.

*5to*, Cujusvis plerumque eſt ex odore judicare qua ſubſtantia vel materie editus fuerit aer inflammabilis. Quicquid enim animalia ſuppeditant, odore ſui proprio diſcernitur; diversus enim

enim ille, qui ex vegetabilibus provenit; diversus iterum, qui ex metallis. Sed, praeter odorem peculiarem, quem, aëre suo inflammabili, unumquodque naturae régnum impertit, ejusdem regni quaedam hunc odore sui proprio imbutum profundunt; hujusmodi sunt oleum terebinthinae, vini spiritus, &c.

6to, In superiori dissertationis hujus parte, quam male aer dephlogisticatus ad vitam vegetabilium sustinendam sufficit, ostendere conatus sum; et phlogisti defectum ut causam recensui: Quoniam igitur, si non omnino, certe magna ex parte, ab hoc principio formatur inflammabilis aer, quin vegetabilia ab eo pabulum acciperent dubitaret nemo: Et, quod hic contemplatio habet verisimile, philosophorum experimenta probarunt.

Repertum est aëra inflammabilem quibusdam vegetabilibus pabulum et nutrimentum suppeditare; illum nonnulla ex iis, ut experimenta in epilobium hirsutum instituta edocuerunt, ingenti copia absorbent. Hisce suadentibus, illud fluidum vegetabilia valde afficere, quibusdam placuit.

Huic enim agrorum fertilitatem fluminum inundationibus inductam attribuerunt; scilicet,  
quia

### 30 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

quia vegetabilia recedentibus aquis relicta, ad  
putredinem vergentia, aëra inflammabilem lar-  
ge profundunt.

Huic quoque attributa est vis ista graminis  
quam paludes semper pecora suppeditarunt: In  
fluviis necnon et locis stagnantibus, ubi vegeta-  
bilia quaedam vigent, crescunt, et florent, dum  
alia fundum versus putrēscunt, illis aer inflam-  
mabilis pabulum suppeditare fertur.

7mo, Cum aëre inflammabili commisisti vel  
dephlogisticato, vel communi et explosis, eun-  
dem fere semper eventum provenire, evolvi,  
nempe, aquam memoravi supra: Alterum vero,  
ante hunc dudum notum, silentio praeterire non  
oportet: Vis enim explosionis tantam philo-  
phorum attentionem vendicavit, quod brevi  
machinas, *air guns* appellatas, excogitarunt: In  
his enim posita hujusmodi mixtura, explosioni  
apta, loco pulveris nitrati aliter ad glandem  
plumbeam ejiciendam necessarii, et electrica  
scintilla admota, haud parvo impetu glans im-  
pellitur; neque raro exinde scinditur lignum  
fissile. Tali experimento aëris inflammabilis  
tantum, quantum communi aequale sit, optime  
convenit.

8vo, Quasdam aëris species aqua penitus absorbet; alias magna ex parte, alias omnino respuuit. Secundi generis est aer inflammabilis; sed experimentis, quae Fontana et Sennabier de hac re instituere, aegre fidendum esse adducor valde ut censeam.

Etenim ex his collegere, aëra inflammabilem in vasis apertis una cum aqua quiescentem absorptione haud parum amittere; in occlusis vero nihil. Quam cito autem aëri objectus, et sub diu collocatus aer inflammabilis altiora petit, ignorat nemo in chemica arte versatus; et his viris eximiis necessarium erit, antequam in haec experimenta juremus, rationem reddere, cur in iis aëris haecce species cum aqua potius coit, quam in atmosphaeram ascendit; quoniam in aliis, antequam absorptio fit, necessaria est iterata cum aqua agitatio.

Experimenta, quae Priestley \* instituit, me judice, verum attigere proprius; ille enim agitatione in aqua inflammabilem aëra ad communis puritatem redegit: Ille ejusdem datam magnitudinem cum aqua stillata agitavit, usquedum absorptione quartam amiserat partem: Ille idem experimen-

\* Vol. I. p. 69.

experimentum, oleo terebinthinae pro aqua usurpato, vini necnon spiritu iteravit, et usque ad dimidium aer saepe auctus est, non mutata tamen ejus sinceritate; ille denique comperuit aquam quae igne ebullierat, rationem hujuscæ aëris multo majorem, et multo citius quam ali-um ullum fluidum, absorbere.

*9no*, Ecce altera dos inflammabilis aëris, specifica nempe gravitas quam minima! Nec hac insignior ulla est, nec ad quodlibet fluidum pertinet illa quae mentes hominum tanta admiratio-ne perculit: Cognita enim hac naturam latius contemplandi et explorandi nova ratio cito de-tecta est; inde enim philosophi *Air-Balloons* ex-cogitarunt, quibus adjuti homines superas e-vecti sunt in auras. Quibusdam vero eximiiss philosophis placuit, minus utilitatis ex eorum inventione proventurum esse, quam multi spera-rant antea \*.

Experimenta, diversis auctoribus instituta, stu-dio inveniendi specificam aëris inflammabilis gravitatem dissimiles eventus comitati sunt. Se-cundum Cavendish, cum aëre atmosphaericō collatus, eam rationem servat quam :: 1 : 12;

secundum

\* Black in Pracl.

secundum Fontana :: quam 1 : ad 15 ; secundum Black :: quam 1 : ad 10.

Hujusce vero discriminis haud latet causa ; etenim pondus variat insigniter, propter modum quo comparatur ; nempe, si quando aut festinanter aut lente urgente igne ejicitur. Etenim, quo celerius emittitur, eo valentior est : Quo valenter, eo levior.

## S E C T I O Q U A R T A.

### *De Aëris Inflammabilis Natura,*

FLUIDI tam miris dotibus praediti naturam indagandi et exponendi ampla fuit mentibus ad rerum causas quaerendas propensis data copia : Nec de hac re siluere philosophi, nec otio trivere tempus ; sed et multa fabricarunt, et *theorias* multiplices excuderunt, quarum omnes recensere nec necessarium, nec operaे pretium habeo.

E

Sunt

Sunt autem quaedam, non sine magnis nominibus adjunctis, ideoque notatu dignae: Vix enim ulla sententia apud chemicos magis increbescet, quam ea indicans phlogiston merum, et omnibus numeris absolutum, aëra inflammabilem formare: Atque ad hanc stabiendam, Priestley et Kirwan summis viribus laborarunt: Ille vero aliis tandem experimentis edoctus, diversam opinionem nuper amplexus est; dum hic, antiquioris tenax, in ea haec tenus perstigit \*. Quare quae eximii hujus viri fere refutatae, vel faltem fere derelictae opinioni repugnant, ut paulisper inspiciamus licet.

Novit unusquisque quam avide dephlogistica-  
tus aer phlogiston attrahit, ob quod cum nitro-  
fo aëre mixtus hic celeriter decompositionem  
subit; phlogisto nempe ejus dissociato. Atta-  
men ex mixtura aëris dephlogisticati et inflam-  
mabilis, nulla unquam fit conjunctio, nec una  
species altera afficitur. Chemiae igitur princi-  
piis ex toto videtur alienum dicere, aëra de-  
phlogisticatum ab alia materie, cum phlogisto  
non debili affinitate gaudente, id sejungere; ve-  
ro puro cum phlogisto mixtum, neque cum eo  
coire, neque ullam subire mutationem.

Inter

\* Philosophical Transactions, vol. 74.

Inter comburendum quoque et phosphorus et sulphur phlogiston emittunt, quod vel dephlogisticatus aer avide attrahit, vel communis; etiam si horum neque unus neque alter inflammabilem aëra appetit. Ex his igitur colligendi locum habemus opinionem eximii hujuscē viri, saltem cum nonnullis experimentis parum congruere; eandem praeterea non leviter repudiare videtur defectio unius ex ejus fautoribus maxime strenuis.

Diu valuit altera opinio de aëris inflammabilis natura, cuius affertoribus placuit, hoc fluidum in ejus compage acidi semper comprehendere nonnihil; huic vero multa quoque obstant, nec nullius momenti illa.

Scheele enim zinco et alkali fixo caustico commisstis, intra vas distillationi aptum mixtum collocavit; circa ejus os vesicam ligavit, et tunc ignis ope distillare incepit; brevi autem inflammabilis aëris et inerti vesica plena fuit \*.

Priestley †, urgente calore, ex ferri limaturis, absque ulla alia materie, vim magnam ejusdem fluidi adeptus est: Ille aequales portiones inflammabilis aëris et alkalini miscuit; atque mixtos

\* Scheele on Air and Fire, p. 181.

† Vol. 2. p. 407.

## 36 DE DUABUS AERIS SPECIEBUS

tos diu quiescere permisit; inter hos vero nulla conjunctio eveniebat, neque ullum signum acidum a deesse indicans esse obtulit. Praeterea, adjuvante electricitate, alkalinus aer facile inflammabilem transiit; et certo in tali experimento acidi nihil ejus compagi inesse potuit.

Haec igitur experimenta insipientibus facile patebit, acidum ad inflammabilis aëris evolutionem nequaquam esse necessarium, et hunc evolutum nihil acidi continere. Causa autem hallucinationis eorum qui hancce opinionem amplexi sunt nequaquam in obscuro est; etenim inflammabilis aer, concentratissimorum ope acidorum e metalli comparatus, pauxillum *acidi aëris* fere semper continet, sensibus semet oblatum, modo una cum aqua, vel vegetabili infusione agitur.

Denique, experimenta quæ Cavendish instituit, quaeque supra citantur, tertia opinio comitata est; nempe, quae indicat phlogiston et non nihil aquae, ea esse a quibus aer inflammabilis componitur; atque hanc nuperrima experientia illustrarunt et confirmarunt. Licet enim, cum multae tum variae sint substantiae, quae idonee tractatae aëra inflammabilem suppeditarunt, et tales, quales aliquis inferret nihil aquae,

ad

ad hujuscē fluidi evolutionem semper necessariae, continere; tamen, quoniam ab inclyto philosopho Priestley nuper certiores facti sumus, carbonem aliaque, etiam in igne fervido, hanc avidissime attrahere; et quoniam nonnulla quae vi ignis coacta inflammabilem aëra effundere desiverunt, aqua madefacta, rursus ejus largas quantitates præbere inventa sunt, hancce aëris speciem nonnihil aquae semper continere, vix cuiusvis est diutius dubitare.

Porro, inflammabilem aëra ex pluribus partibus esse formatum, experimenta olim a Priestley instituta, in quibus hunc intra vitreos tubas clausum ope ignis in partes suas rededit, luculententer monstrarunt: Celeber. autem Cavendish primus evulgavit, aquam praeter phlogiston alteram esse partem; ille \* quoque, de hac re propriis experimentis edocitus, eandem sententiam jam amplexus est; ab ipsis enim comperuit, aëra inflammabilem ex ferro absque aqua ejici nequire †.

Testibus igitur et syntheticis experimentis, et analyticis, constat, inflammabilem aëra ex duabus

bus

\* Priestley.

† Vol. 6. p. 16.

bus partibus esse formatum, aqua nempe est phlogisto; quam quidem opinionem Priestley et Cavendish nobilitarunt: Nobile revera problema, et cuius solutionem diu philosophi quaesivere frustra; de quo praeterea multas inaness inutiles, et leves conjecturas protulere; id verendum fuisse expositum, amplam inferendi copiam habemus.

Quae vero inter phlogiston, et aquam, in ejus compage, sit ratio, nondum pro certo statuerunt philosophi; hujus parum adesse, tantum comperuerunt. Vitriolatus enim tartarus intra vas inflammabilem aëra continens locatus, solis radiis lente collectis, celeriter in hepar sulphuris mutatur; neque sub sensibus cadit aqua, etiam si aer penitus absorbeatur.

Carbones quoque ex lignis facti, lentis operis ex toto ferme inflammabilem in aëra converti possunt; ex ejusdem enim libris compluribus vix unicum cineris granum relinquitur. In tali igitur experimento, si aquae magna vis ad aëris evolutionem esset necessaria, difficillimum est intellectu, unde originem suum traxerat.

Quin et illis, de duorum fluidorum horum dotibus, perpenfis, ut et de natura, antequam huic dissertatiunculae finem impono, ne quem arrogantiae

arrogantiae me incusaturum spero, si, desiderio proprio obsequens, augurer pauca de effectibus, qui vel forte oriuntur vel, ut verisimile est, re-vera oriuntur ab his fluidis ex natura. Etenim quis contemplando aut ratiocinando divinare potuerit, aëra dephlogisticatum et inflammabilem explosos electricitate, formam fuisse indu-turos aquae? Attamen, cognito hoc, nil diutius vana hypothesi quam multa experimenta oppug-nant, nonnullas res in chemia obvenientes, ex-plicandi gratia, opus est; illinc quoque nobis quorundam in natura ipsa contingentium, vero haud absimilis ratio oriri videtur.

Quoniam itaque inter putrefendum et com-burendum inflammabilis aer emittitur, atque in superioribus atmosphaerae regionibus, communi cum aëre mixtus fluctuare invenitur; et quo-niam ex his electricitate explosis aqua evolvi-tur; anne verisimile videtur, imbres tonitru comitantes posse oriri ex his in superioribus at-mosphaerae regionibus electricitate explosis et in aquam mutatis? Huic conjecturae favent et fulgura hos imbres semper antecedere observa-ta; et eorum frequentia, aestivo tempore, et in nostris et calidioribus regionibus, si quando inflammabilis aer copiose ex subjacentibus cam-pis

pis ejiciatur. Horum enim similes causae obtinent, et nil obstare videtur, quin similes quoque eventus subsequantur.

Postquam vero detecta est aquae natura, et cognitum phlogiston vegetabilibus pabulum suppeditare, ratio haud obscura videtur, quare in hoc fluido posita vegetabilia inter crescendum aëra dephlogisticatum evolvunt. Etenim vix tam mirabile videtur, aquam intra vegetabilem vasa circulantem decompositionem subire (phlogisto nempe ejus plantae nutrimentum suppeditante, dum dephlogisticata pars, utpote nociva, ejicitur) quam sanguinem in humano corpore ex chylo formari, vel ex sanguine jam formato diversa fluida secretione separari.

Ex eodem invento via patere videtur, quam philosophi prementes brevi fortassis nostrae atmosphaerae originis rationem reddant: Chemicis praeterea diutius cunctandi, vel ancipites haerendi de aëris diminutione, dum sulphur comburitur aut phosphorus, non amplius opus est.

Sive haec vero appropinquant, sive non, aliis dijudicandum relinquo; ut conjecturas protuli, pro talibus restent; attamen, nisi his vel aliis modis natura malis, ex quantitate magna aëris inflam-

inflammabilis et putredine, et igne ejecta in graveſcentibus mederetur, quod animalia longum ante hoc, propter puri aëris defectum, perifſent, alicui facile apparebit. Etiamſi, enim vegetabilia inter crescendum atmosphaeram animalium respirationi aptiorem efficiant, eam ex toto purgare non poſſunt; quia horum pleraque, aeftivo tantum tempore, vegetant, et inflammabilis aër, quamprimum ejicitur, altiora petit.

---

Tentamine igitur noſtro ſic ad finem perducto, antequam calatum depono, beneficiorum nunquam immemor, animus oblatam occaſionem ſinceras proferendi gratias ingeniosiſſimo Professori, medico peritiffimo, et longe et late jure inclyto, Doctori Gulielmo Cullen, ob amicitiam quae ab illo expertus ſum, utiliſſima nec non paecepta, quorum meminiffe ſemper me delectabit, laetus arripio.

F I N I S.





TIGHT GUTTERS

